

SERIES ALPHABETICA HUJUS
VOLUMINIS.

| | |
|-----------------------------|-------------|
| A | |
| De Actionum cessione. | - pag. 952. |
| in successores impositales. | 972. |
| necessaria. | - - 986. |
| Alienatione. | - - 686. |
| A.R.P. et G. | - - 123. |
| Affidatioe. | - - 668.b. |

| | |
|----------------------|--------------------|
| C | |
| De Cambijs. | - - 674. |
| Codicillis. | - - 392. |
| Collatione. | - - 271. |
| Comodato. | - - 538. |
| Conditione. | - - 612. |
| Conditionibus. | - - 344. |
| Conubiorū jure. | . . 69. 75. |
| Constitutionibꝫ PP. | - - 45. |
| Contradicō nominati. | 650. |
| Cessione adionū. | - 952. 972 986. |
| Civitatis mutuo. | 500. |

| | |
|--------------------|----------|
| D | |
| De Decretis. | - - 45. |
| Delegatione. | - - 910. |
| Deposito. | - - 550. |
| Denūciatioe litis. | 636. |
| divisionibꝫ juriſ. | - - 1. |
| Dominio. | - - 123. |

| | |
|--------------------|----------|
| E | |
| De Errore. | - 748. |
| Evidentibꝫ. | . . 626. |
| Excusatioſ Exempt. | 924. |

| | |
|-----------|--------|
| F | |
| De Fidei. | - 707. |

| | |
|-------------------------|----------|
| I | |
| De Institutione Heredi. | - 309. |
| Inventario. | - - 412. |
| Integri restitutioe. | 808. |
| juriſ divisionibꝫ. | - 1. |
| jure connubiorū. | 75. |
| reſtauratioſ. | 728. |
| releſtioneſ. | 887. |
| innominitis g̃tibꝫ. | 650. |

| | |
|---------------------|----------|
| L | |
| De Legitimatione. | - 83. |
| Legitima. | - - 237. |
| Locazione. | - - 612. |
| Legibus. | 17. |
| Litis denūciatione. | - 636. |

| | |
|---------------------|------------|
| M | |
| De Māterna tutela. | - 98. |
| Mētūs restitutione. | - 632. |
| Monopolij. | - - - 592. |
| Mūtūs cibitatis. | - 500. |
| Novatione. | - - 896. |
| Optione. | - - 381. |

32

674.

Cum JESU NOSTRO!
DISSERTATIO JURIDICA

De

CAMBIIS

vulgò
Wechsel-und Wechselbriefen/

Quam

Adspirante clementer Divinâ Clementiâ,

Consentiente

Nobilissimo J Ctorum Ordine in
Illustri Viadrinâ,

Præsidente

VIRO Amplissimo, Consultissimo, Excellentissimo

Dn. PHILIPPO JACOBO WOLFFIO

J. U. D. & P. P. Præceptore atq; Evergetâ suo religioso
obliviantiæ cultu perpetim devenerando.

Publico ac placido Eruditorum Examini ven-
tilandam proponit

DANIEL FLESCHIUS Stolpa-Pomer,

A & R.

Ad diem 13. Martii, horis locoq; consuetis,
Anno Salutis recuperatae

1 6 5 2.

Excudebat NICOLAUS KOCH,
Acad. Typogr,

Franckfurt/Oder

3t.



de Lambijs
Tradatij epdat.

Fabris Fabiani, Genuefis. 1.6.p.i.f.7iv.

Domeno Vis. Cajectani Cardinal. 1.6.p.i.f.70v.

F. Hieronymi de Luca. 1.6.p.i.f.70v.

Scartia d. Camb.

Raphael d. Turry.

Iof Jac. Höldigst und Seelbst fdt. 1676.

Matt. Bode dip. d. Lambijs Marburgi 1646.

Wagners qq. us wnfleßt.

IN NOMINE CHRISTI.

Et si de Cambio disputaturum intricata
materiæ difficultas facilè deterrere pos-
sit, qvippe cum & Arcana Mercatorum
de hoc negotio Placita, à qvibus tamen maximè
res addiscenda est, & Scriptorum, qui extero Fo-
ro omnia, qvæ de eo annotarunt, accommoda-
se leguntur, obscuritas eam oppidò abstrusam
reddant, ipsomet ex aliis ita conquerente Sigis-
mundo Scaccia *de Commerce. Et Camb. § 1. qvæst.*
1. n. 18. Et seq. Nolui tamen à proposito deflecte-
re, sed collectis & decerptis nonnullorum, qui
ex professo de hoc ipso tractatus emiserunt, flo-
ribus, Academic Exercitii gratiâ, & ad tentan-
das ingenii vires, seqventes conscripsi Theses;
qvas tantò magis æqvum & benevolum Tuto-
rem & Cenforem inventuras confido, qvantò
certius est, humanum esse labi, & laudabile in
magnis voluisse aliquid. DEUS interea veri-
tatis, qvod veritas habet, mihi suggerat!

THESIS I.

Operæ autem Iprecium arbitror, dum & aliàs rei
Tractatio præmitti solet, voces, qvæ in hâc mate-
riâ occurrunt, paucis explicare. & ut ab ipso Cam-
bio ordiar, illud in purioris Latinitatis seculo, ignotum
fuisse

fuisse non adeò improbabile duco. *Scacc. de commerc.*
¶ *Camb.* §. 1. quæst. 3. n. 4. Receptum tamen hodiè imò
& olim fuit, cum apud Priscianum lib. 10. cap. 2. ¶ *libro-*
rum Feudalium Compilatores, lib. 1. tit. 22. ¶ tit. 4. § 2.
reperiatur, idemq; denotat qvod permutatio. Germanicè
ein Wechsel & nobis hæc illa, qvæ est pecuniæ cum
pecuniâ. Inde Campsor dicitur is, qui accipit pecu-
niam Cambio, vel qui acceptam pecuniam aliâ permu-
tat pecuniâ, Talis & Collybista nominatur à Collybo,
mercede, german: Auffgeld qvæ pro ista permutatione
datur. Item & Trapezita, Venditor argenti l. 12. §. fi-
nal, *C. de cohortat.* lib. 12. Numularius, l. 7. §. 2 ff. de
positi l. 39. ff. de solut. ¶ *liber.* l. 47. §. fin. ff. de Paet. Argen-
tarius, l. 52. §. 5. ff. pro Socio. Mensularius, l. 24. §. 2. de
bon. Autb. jud. Posid. Argentariæ Mensæ Exercitor l. 4.
ff. de edend. Monetarius l. 7. *C. de Murilegul.* ¶ *Monet.*
lib. 11. ¶ l. 6. *C. de dignitat.* lib. 12. *Scacc. d.* l. quæst. 3. n. 8.
¶ seqq. Campsuarius contra ille, qui dat Cambio, ut
alibi recipiat. Ille seu Campsor in modernis negoti-
ationibus dicitur Trasfent, hic Remittent, mercantorio
stylo & idiomate. Vid *Raphael. de turri Tractat. de*
Camb. dispu. l. quæst. 1. n. 35. ¶ seqq. Sic in literis Cam-
bii alia peregrina adhibentur vocabula tempus & ter-
minum solutionis vel aliud qvid denotantia, uti Vista
3. Wochen / i. e. nach dreyen Wochen / Avfo i. e. post 14.
vel plures dies, sic Valuta von N. N. significat satisfa-
ctum esse à Campsuario, Stelz à Conto significat com-
putum, quem Mercatores inter se habent. Prout talia
ex Literis Cambii & germanicis Notariorum libel-
lis addisci possunt.

II. His præmissis, describo Cambium, qvod sit
Conventio ultrò citròq; obligatoria dandi reddendi-
que pecuniam, qvæ consensu, re, & pretio, perficitur.

III. Ge-



III. Genus definiti est Conventio ultrð citrðq;
 obligatoria, qvæ est duorum pluriumve Consensus in
 idem dandi vel faciendi, ut eam ex *l. 1. §. 3. ff. de Pact.*
Corvinus in Jurisprud. Romana Vultejis contractâ lib. 1.
cap. 27. definit: Quemadmodum autem Consensus
 (vocab: generaliter sumpto) in omnibus requiritur con-
 tractibus *l. 1. §. conventionis ff. de pact. l. obligationum sub-*
stantia ff. de oblig. & act. Ita & in Cambio consensus con-
 trahentium omnino nescarius est. Deficiente enim
 illo prorsus subsistere nequit. Tacitus tamen hic Con-
 sensus minimè sufficit, nec pura ac simplex taciturnitas
 pro consensu habetur, nisi extrinsecum aliquod admi-
 niculum accedat, veluti receptio literarum, seu Episto-
 læ, quod est necessarium omnino ad Effectum, ut dica-
 tur tacite resultare consensus ut monet *ex Fabro Bacbo*
in Comment. ad §. sed si Pater, instit. quibus mod. jus Patr.
poteſt. ſolv. Qvia regula: qvà tacens pro consentiente ha-
 betur valet tantum in actibus judicialibus non vero in
 extrajudicialibus, probante *Carpzovio lib. 6. respons.*
101. n. 10. Differentia in reliquis continetur verbis.
 Etsi autem alii per emptionem & venditionem, uti
 Scaccia & alii ab eo allegati d. l. alii per locationem, alii
 per mutuum, alii per contractum innominatum defini-
 ant Cambium; nullum tamen horum est, sed potius
 speciale negotium.

IV. Venditio inde non est, qvia Cambium solo
 consensu non perficitur, sed requiritur ad id consensus,
 res & pretium. Nec locatio cum in Cambio pecunia-
 rum transferatur dominium, contra naturam locati-
 onis, qvæ usum rei, non dominium tradit. A mutuo
 æque multum differt, illud enim rei interventu tantum
 contrahitur & generaliter in iis rebus consistit, qvæ pon-

dere, numero, mensurâve constant pr. *Instit.* qvibus mod.
re *Contrah.* oblig. l. 1. §. 2. & l. 2. § ff. de oblig. & actione.
In Cambio autem ex parte dantis non semper pecuniæ
interventus exigitur, sed habitâ fide celebrari illud do-
cet *Raph. de Turri* d. *Disp.* 1. *qvæst.* 5. n. 9. Est & hoc alienum
à natura mutui, qvod in Cambio ordinario non tan-
tundem sed minus restituatur, dum moneta pro aliâ
æstimatur, & industria, labor & sollicitudo Campforis,
qvam in numismatum varietate impendit, lucellum
aliqvod exspectat. Deinde mutuum est contractus *uo-*
νόπλευρος, debitoris tantùm gratiâ initus, Cambium
autem utriusq; & potissimum illius causâ, qvi dat Cam-
bio, celebratur. Resultat etiam non levis alter catio-
an Cambium inter contractus innominatos referri pos-
sit? Et cum negantium rationes mihi fortiores & ma-
gis prægnantes videantur, iisdem meum calculum ad-
jicio. Habet namq; Cambium certum & specificum
Nomen, actionem certam & cognominem producit, pæ-
nitentiamq; excludit, qvæ tamen in innominatis con-
tractibus licita est *l. 5. in princ. § 1. ff. de Condict. cauf.*
dit. cauf. non fecut. Nec inde innominatus efficie-
tur, qvod à legibus illi nullum speciale nomen imposi-
tum, id enim oppidò falsum arbitror, dum tot seculis
approbata consuetudo & solidum nomen & cognomi-
nem actionem ei tribuerit, licet Justinianeis legibus in-
cognitus habeatur, ut pluribus probat *Raphael de Turri*
disp. 1. qvæst. 10. per tot. Ubi ad Contraria respondet.
Scacc. §. 1. qvæst. 4. n. 17.

V. Divisiones Cambii multiplices sunt: aliud
purum, aliud impurum: aliud licitum, aliud illicitum:
aliud siccum, aliud reale: illud injustum pleriq; dicunt,
hoc non æqvè. Notabilis autem distinctio est
â cau-

à causâ effidente petita, qvod Cambium aliud sit publicum, qvod à Campsoribus publicis & solenniter constitutis, quales in plerisq; celebrioribus Emporiis habentur, exercetur. Aliud privatum, qvod indifferenter Mercatores celebrant. A causâ Formali: aliud manuale s. minutum, cum eodem in loco majoris pretii nummis acceptis, numuli seu minutiores namini reddantur. Dominic: Soto de *just. & jur. lib. 6. qvæst. 8. artic. 7. & qvæst. 9. artic. unic.* Aliud per literas, qvod & trajectitium s. translatitium à nonnullis appellatur, quo pecuniam Campsor uno in loco acceptam in alio solvit virtute sc. Literarum traditarum dictus Soto *d. lit. 6. qv. 8. artic. 2.*

VI. Finis contractus nostri *primarius*, est comodum publicum: Respublica enim benè constituta propter necessarium usum illo carere nequit *Carpz. lib. 2. Resp. 92. n. 18. Berlich. part. 1. concl. 64. n. 14.* & secundarius ipsorum mercatorum lucrum, qvod ipsi ex numismatuum commutatione sperant.

VII. Causa efficiens *remota*, est jus Gentium; Jus Gentium autem dicitur illud, qvod apud omnes gentes observatur §. *Jus autem Instit. de jur. natur. Gent. & Civil.* Jām verò Cambium in omnibus Regnis & Provinciis, imò in toto terrarum orbe exercetur, veluti Reipublicæ & hominum commerciis necessarium. *Propinquior* sunt contrahentes, quales omnes sunt qui non prohibentur vel naturâ, ut Infans §. *Pupillus 9. Instit. de inutil. stipulat. l. in negotiis ff. de Reg. jur. furiosi l. 5. de Reg. jur. & furioso similes, mente capti, fatui.* Vel *legi*, ut pupilli, sine Tutorum autoritate, siq; conditio nem non faciant meliorem *l. 5. ff. de autor. Tutor. l. 28. ff. de pactis.* Minores Curatorem habentes, sine eo uti

uti nihil, ita nec Cambio pecuniam alienare possunt.
l. 3. C. de integrum restit. Non habentes licet Cambiunt.
l. 101. de verb. Oblig. l. 43. de Oblig & action. Salvo tamen
restitutionis auxilio. Ulti hæc ex generali habilitate vel
inabilitate personarum ad contrahendum satis clara
sunt.

VIII. Hoc magis speciale est, quod & illi, qui Mercatores nec sunt nec esse possunt, Contractum hunc, qui potissimum Mercatoribus competere videtur, celebrare valeant. Etsi namq; Clerici *cap. Canonum 14. quæst. 4.* armatae militiae milites *l. un. C. negot. ne milit. l. 15. C. de remilit. l. 12.* Nobiliores & patrimonio ditiores, mercimonium exercere prohibeantur *l. 3. C. de commerc. & mercat.* quin tamen Cambia licet contrahant, præsertim si rarius & proprii usus gratia fiat, non dubito.

IX. Fœminas autem Cambium exercere posse verum judico *argum l. 1. C. de edend. & aliæ mulieres negotiari & mercari valent l. 32. §. 4. ff. de auro & argent. legat. l. 7. §. 1. ff. de Institut. action. Hinc & in foro Saxonico mulieri mercatrici respectu mercaturæ contrahere & sine curatore permisum tradunt Carpz. in Jurispr. forensi part. 2. Const. 15. defin. 16. n. 7. & seqq. Berlich. part. 2. conclus. 17. n. 92.*

X. Procuratori seu Institori Speciale habenti mandatum pecuniam Cambio dare vel accipere licitum esse nemo facilè negabit. An autem generaliter constitutus, talem contractum justè celebret, controversum videtur? Et qvidem si simplex tantum mandatum generale habuerit (merito enim hæc distinctio & jure civili nota & usitata defenditur. *Rauchbar. part. 1. Quæst. 2. n. 20. & allegati ab Hilliger lib. 18. cap. 12. lit. bb. & lib. 4. cap. 15. lit. D.*) Cambire non poterit, dum pecunia in Cambio alienatur

tur l. 63. ff. de procur. nisi constituens solitus fuerit pecuniam Cambio capere, & nisi ex loci consuetudine ita obtinuerit, uti hanc limitationem addit *Raphael. de Turri disput. 1. qvæst. 15.* si verò mandatum cum libera ipsi fuerit datum, tūm & cambiandi facultatem accepisse rectè dicitur *argum. leg. 58. ff. de procur.*

XI. Et qvia ad compleñendum hunc Contractum regulariter quatuor reqviruntur personæ, dans, accipiens, & solutionem alibi procurans, deinde recipiens, liberans & solvens, & demum exigens pecunias, apparet & has posteriores ad efficientem Cambii esse referendas, qvanquam interdum & ipse dans, in loco destinato, pecunias Campsorias exigat, & imò posteriores hæ ad complementum potius, quam ad substantiam contractus pertineant. *Raphael de Turri disput. 1. qvæst. 15.*

XII. Materia seu Objectum Cambii sunt pecuniae seu numisnata, in hujus etenim tantum permutatione occupati sunt Campsores, qui & certam ad hunc usum semper destinatam possident, quæ commodè ad immobilia bona refertur *arg. l. 17. §. 7. de Action. Empe. l. 35. §. 3. ff. de hered. Instituen.* ut talis mercator in punto satisdatiōnis vigore l. 15. ff. de his qui satisd. pro immobilium possessore sit habendus, quomodo & aliàs tabernam mercibus pretiosis plenam tenent, à satisdatiōne liberatur, per tradita *Berlichu part. 2. decis. 292.* Et *Carpzov. part. 1. Conf. 5. defin. 29.* Hæc autem pecunia in Cambio intervenit tanquam res s. merx, cuius appellatione regulariter pecunia continetur, ut probat *Straccha de mercatur. part. 1. n. 75.* quo respectu etiam vendibilis s. deducibilis est, ut pluribus demonstrat *Scacc. §. 1. qvæst. 4. n. 21.* Et seqq. Cui etiam in Terminis ad stipulatur *Carpzov. lib. 2. resp. 92. n. 9. in fin.* Et tanquam pre-

tium. In qvo publica æstimatio & Taxatio obser-
vanda.

XIII. Forma autem Cambii nostri realis consistit
in eo, ut pecunia certa, in eodem, vel diverso loco, vi-
gore literarum, qvæ defuper conficiuntur, restituenda
curetur; Et h̄c distingvi debet perfectio Contractus
ab ejusdem implemento. Illa adest, qvam primum
Campsor vel acceptâ pecuniâ, vel habitâ de eâ fide Camp-
fuario, datis literis restitutionem promisit. Implemen-
tum demum supervenit, cum ab acceptante promissa
pecunia restituitur.

XIV. Qvia itaq; literæ Cambii ad ejus æqvè per-
tinent formam, de illis quoq; qvædam annotanda sunt.
Ad qvarum considerationem anteqvam progrediamur,
prius notandum, quod præterea etiam aliis literis utan-
tur Mercatores, qvales sunt literæ Advisi, qvas Merca-
tores conficiunt ad cundem, cui fit tracta, eumq; præ-
admonent de consignatione literarum Cambii sibi faci-
endâ, & distinctius instruunt de peragendis. Harum
literarum formulam vid, apud Scacciam §. 1. qvæst. 5. n.
77, & 78.

XV. Describuntur illæ hunc in modum: qvod
sint laconicum qvoddam documenti privatigenus vel
brevis qvædam & compendiosa, trium vel quatuor ad
summumversuum, oratio subscripta, pro debitore Cam-
bii, continens formaliter mandatum consecutivum
Cambii, de qvo in ea datum illi, ad quem dirigitur tra-
cta de solvendis pecuniis in loco destinatæ solutionis.

XVI. Materia eadem est cum Cambio ipso; con-
tentia vero in illis haec sunt: Exterius inscribitur, qvod
interius explicatur. Exterius duo continet, Nomen
ejus, ad quem literæ illæ destinantur, & locum, ad quem
eadem

eadem diriguntur. Intus verò (1.) Tituli seu rubricæ, & in Capite ipsarum] annotatur unica linea, & textura verborum diei datæ, dictarum literarum, item summa pecuniarum, qvæ vigore Cambii solvendæ sunt, & locus, in quo datæ fuerunt; (2.) Post Titulum seqvitur à capite series ipsarum literarum (1.) quidem Mandatum de solvendo summam, de qua in Cambio expresso tempore solutionis. (2.) Subditur iterum summa solvenda, & quidem ad tollendas fraudes, non notis numerabilibus designata, sed per extensum expressa (3.) Idem nomen ejus, cui fieri debet solutio. (4) Causa, ob quam mandatur solutio, qvæ semper eadem est, ex Cambio scilicet (5) pretium, quo Cambium illud celebratum est, in quo tamen mira varietas. (6.) Nomen ejus quo cum fuit celebratus contractus Cambii. (7.) Licet non semper sed frequentissimè aliud mandatum, quo sc. modo is, qui amplecturus est dictas literas, de per eū solutis sibi satis faciendum sit. Tandem ipsius datoris literarum subscriptio.

XVII. Formale requisitum literarum Cambii est mandatum executivum, sine quo literæ non subsistunt, id est de ipsarum substantia est arg. l. 82. ff. de contr. empti. Rappael. de Turri disput. 2. qvæst. 3. n. 15. 16. Et segg. An autem invalidæ reddantur literæ, si mensis vel dies non adjecti fuerit? Et cum non sint de substantia aut solennitate actus: idcirco ipsum actum non vitiat omissio arg l. 1. in princ. C. de re uxor. act. Dies enim & mensis, in eum saltem finem adjiciuntur, ut rei gestæ veritas probetur arg l. 5. C. de Transact. Quamvis igitur scribens literas in adsignatione diei vel mensis erraverit, nihilominus in loco transcripto, pecunia solvi debet. Quandoquidem sufficit, evidentiam rei aliquo modo ostendere, erroremq; detegere. Detecto autem errore, de-

bet attendi veritas, quæ gestorum erroribus, vitiari neuis
tiqvam potest. *Baldus* vol. 5. cont. 397. n. 1. & mens potius
contrahentium inspicienda est; jam vero regulariter talis
præsumitur mens contrahentium; qvalis naturæ
contractus congruit. *Baldus* in l. si repetendi n. 2. C. de
Condict ob causam aretin. in l. quiduoſ Col. 2. ff. de *usu gar.*
Subſtit. Et in l. clam. §. posſidere, § qui ad *nundinas*, Col. ult.
ff. de *acquir. possesſ.* *Scacc in Tractat. de judic. caus.* lib. 2.
cap. 9. n. 1369.

XVIII. Præsentantur literæ per ipsum Campſua-
rium, vel per illum, cui fit remissa, eidem, cui fit tracta,
qui eas acceptat, vel non. Si eas acceptat, tunc ex hâc
acceptatione contingit nulla novatio, nec delegatio,
nec liberatio datoris literarum; sed plena probatio ea-
rum Obligationum vel Exceptionum, qvæ oriuntur ex
traditione vel exceptione literarum, qvalis probatio eti-
am resultat ex directione scripturæ, qvæ fit in libris mer-
catorum, de qvibus vid *Bald. Consil.* 150. Et 152. vol. 3.

XIX. Sed si ille, cui literæ præsentantur, promisit
solvere, & præsentans plenam fidem ei adhibuerit, qvod
in dubio videtur fecisse, si apud eum literas dimisit, tali
casu dator itidem non liberatur, qvia simplex promissio
ad delegationem non sufficit; Et obtinet hæc consuetu-
do inter Mercatores, qvâ acceptante literas Cambii non
solvente præsentator regredi potest adversus scriptorem
literarum; tutius tamē aget præsentator, si acceptator eas
qvidē acceperit, sed veniente die non solverit, ut proteste-
tur, quo is extra culpam esse possit, cum protestatio utilis
simum sit juris remedium, qvo regulariter jus nostrum,
qvod aliàs läderetur, censervamus l. *probare de 20. §. 1 ff. de*
acquir. hered. *Carpzov.* lib. 4. resp. 32. n. 12. Dummodo
non contra formam solennem negocii adjiciatur *C. Sol-*
liciendinem de Appell. *Carpzov.* lib. 3. resp. 77. n. 5.

XX. Ori-



XX. Oritur ex Cambio actio Cambii, quæ Effectorius loco est, utrinq; directa, & datur (l.) Campsuario contra datorem literarum, non solum ad sortem in literis Cambii expressam, sed etiam ad interesse ob non factam solutionem, loco & tempore determinato *arg. l. i. ff. de eo q. v. cert. loc. l. arbitraria ff. eod.* Qvod licet à Prætoris sive Judicis arbitrio pendeat, non tamen legitimum usurarum modum excedat, si potissimum circumstantiæ Temporis & locorum majoris itidem vel minoris indigentia pecuniarum suffragantur. Contra & hæc ipsa actio datur Campsori, si Campsuarius fidem habitam datione pecunia non liberet, itaut & tum ex morâ interesse peti possit *argum. l. 8 ff. de eo q. certo loc.*

XXI. Ex alio autem negotio, nempe mandato, competit Acceptanti actio contra Campforem, & huic itidem contra illum.

XXII. Ad effectum etiam Cambii pertinet, qvod literæ paratam mereantur in foro executionem *Berlich. part. i. concl. 80. n. 78.* Ac is, qui pecuniam ad Cambium dedit, omnibus Créditoribus præferatur *Berlich. dicta p. i. Conc. 64. n. 14.* Item, qvod literæ solummodo valeant usq; ad futuras nundinas, qvibus si non seqvatur realis solutio, elevatur protestum, atq; id unà cum literis Cambii præsentator ad Remittentem mittit; ut jus agendi contra tractantem s. datorem literarum Cambii maneat salvum *Carpz. lib. 2. Resp. 92. n. 17.*

XXIII. Ad Effectum quoq; refertur, qvod literis Cambii ab eo, cui directæ fuerunt, acceptatis, Campsor illas revocare nequeat. Etsi enim ille solvens, vi mandati, scribenti obligetur, mandatum autem re integrâ licite revocetur §. 9. *Inst. mandat.* Tamen qvia acceptatis literis constitutum celebratum videtur; Factum

debitoris non debet excusare constituentem l. 27. ff. de
Constit. pecun.

XXIV. Adjuncta Cambii sunt bona fides, qvæ
in Contractibus mercatorum exuberare debet *Boer. de-
cif. 215.* Cambium autem esse contractum bonæ fidei Au-
toritate *Benev. Stracchæ de Mercat. part. 2. n. 10. Et Carpz.
lib. 2. Resp. 92. n. 13.* multorumq; aliorum asserimus, qvia
magnam convenientiam habet cum permutatione *Gro-
tius de jure bell. 5 pac. lib. 2. cap. 12. n. 3. in med. Albus. in
dicæol. lib. 1. cap. 87. n. 28.* Et seqq. aliisq; bonæ fidei con-
tractibus, uti ex supra dictis plus satis patet. Jam verò
omnes contractus debent judicari secundum naturam
eorum, qvibus magis assimilantur, saltem quoad ea, qvæ
respiciunt effectum conventionis, ut docet *Manica de
sacra. 5 ambig. convent. lib. 24. tit. 9. n. 19.* Ergo & Cam-
bium erit bonæ fidei contractus. Et exinde contrahen-
tes Cambium tenentur judicis arbitrio de eo, qvod ex
bono & æquo præstari oportet, licet de eo non conve-
nerint. DD communiter in §. actionum inst. de action.
Deniqvè, qvia communiter receptum, ut in foro mer-
catorum æquitas præcipuè attendatur; ac ex bono &
æquo causæ dirimendæ sint l. si fidejussor 29. §. qvadam
4. l. quintus Mutius ff. mandati. Baldus volum. 5. consil. 466.
n. 4 & ex eo *Stracchæ de mercat. part. ult. quomodo in caus.
mercat. proced. n. 1.* ubi multos citat. Ratio rationis est,
qvia Æquitas naturalis optima contractuum interpres
est l. si socius pro filio ff. profec. Baldus vol. 1. consil. 434. cir-
ca fin.

XXV. Non inconcinnè hic qværitur: An
Cambium injustitiam in se contineat? Affirmativam
qvamvis multi magno nisu defendere attentent sen-
tentiam, negativam tamen nostram faciemus. Ante o-
mnia



mnia autem præsupponendum esse arbitramur, ut sc. iste contractus secundum laudata in præcedentibus re^squisita, ritè & rectè celebretur; aliás si immodicis usuris oneretur, abusum ejus omnino improbamus cum multis. Justitia namq; Cambii in foro exteriori in duobus consistit (1.) in Æqvalitate, hæc verò in interesse, danno, labore, expensis, periculo, copiâ vel inopiâ monetæ, & sic in majori vel minori valore. (2.) In obser- vati one formæ, tradita à lege positivâ vel probata con- fverudine, qvæ si non observetur, tunc contractus fit illicitus *Scacu de commercio. & Camb. §. 1. quest. 5. n. 100.* qvi pluribus hæc de re agit.

XXVI. Ad Cambii adjuncta pertinet etiam Præstatio periculi, qvæ regulariter ad Campsorem spectat. *Carpzov. in Jurisprud. forens. part. 2. constit. 26. def. 13.* Si tamen qvis in transcribendâ pecuniâ literas in itinere amiserit, poterit cautione præstítâ de indemnitate Argentarii sive Mensularii, si fortè ab alio istæ literæ repariantur, & super iis solutio in loco transcripto præmaturè fiat, creditor transpositam pecuniam ab Argentario rescribere ac repetere *Gail. lib. 2. observ. 37. n. 8.* Si verò ipse Campsor foro cedat, tūm si ille, ad qvem literæ fuerunt directæ, illas acceptavit, vel tacitè tan- tū recipiendo nec contradicendo, ad solutionem omniō tenebitur *argum. l. 13. Cod. de non numer. pec. l. 9. ff. de negot. gest.* Si non acceptavit, securus etiam erit, *Johan. Bapt. Schwarzen Thaler de Stiputat. Tit. de Lit. Camb. n. 81.*

XXVII. Circa hanc periculi præstationem, iste Casus decisionem qvoq; meretur: Causus numerat Hamburgi Sempronio Campsori mille Imperiales, qui conscriptis protinus literis detractâ provisione suâ eos No- rin-

Norinbergæ à Titio reddendos Mævio constituit. Causas
acceptas literas, uti consuetudo obtinuit, includit Epi-
stolæ, qvam vocant de Aviso (de qvâ supra in §. 14.) Mæ-
vio directæ, ut dictos mille Imperiales exigat, eamve in
publici tabellionis ædibus deponit, ut Norinbergam de-
ferantur. Intercipitur Epistola ab ignoto, qvi simulato-
Mævii nomine mille Imperiales à Titio repetit. Ca-
jus ignorās literas à Titio esse solutas, admonitus à Mævio
se nullas habuisse Cambii literas, mittit huic secundas.
Mævius acceptis secundis literis, compellit Titium de
solutione, qvi respondet, se jamdudum solvisse. Qvæ-
ritur quisnam horum in culpa sit & damnum præstare
teneatur? Et Titium duntaxat in culpâ esse patet ex hoc
fundamento. (1.) Qvia mandati fines excessit & falso
creditori solvit; jam verò qvi alii qvam vero Credito-
ri solvit nunquam liberatur arg. l. si ego 24. ff. de negot.
gest. & l. cum qvis 38. §. 1. ff. de solut. (2.) Qvia utile Sem-
pronii negotium minimè gessit, nec ea usus fuit diligen-
tiâ, qvâm in propriâ forsitan ne adhibuisset; Cum enim
Mercatores sint industrii, adq; rem attentissimi, ac sci-
ant aut scire debeant, hujusmodi cas⁹, ut ad alienas literæ
perveniant manus, haud rarō evenire, debebat gnavi-
ter inquisivisse, numiste qvi offerebat literas, verus es-
set Mævius, qvod cum socorditer neglexerit, meritò ipsi
adscribitur culpa, meritasq; luit negligentia pœnas.
Nam qvi decipi se patitur, cum illud industriâ suâ præ-
vertere potuerit, suæ hoc acceptum ferat socordiæ; Is
siqvidem non meretur beneficium legis, qvi ipse sibi
volens necessitatem imposuit l. 7. §. 1. ff. qvi Satus co-
guntur. Nec obstat, qvod peregre adveniens afferens
qve se Procuratorem, & docens de mandato debeat ad-
mitti ac recipi, qvāvis non doceat de Identitate personæ

Baldus



Baldus in l. 22. sub. n. 5. in fin. Mandatum namq; ad exigendum pecunias, longi majoris est præjudicii, damniq; minus reparabilis, qvàm mandatum ad literas. Icircò cautius in illius, qvàm hujus admissione est procedendum *Scacc. §. 2. gloss. s. n. 347.*

XXVIII. Nec alienam ab Adjunctis Cambii arbitror hanc esse qvæstionem: An sc. lex commissoria locum in Cambio habeat, ut si creditor meo darem pignus cum pacto, ut si in exitu primi anni non solvere, ego ipsi obligatus essem ad Cambia & eorum damnæ; si verò promissis non starem, qværitur, an pignus cadat in commissum, ita ut Creditor illud pro libitu alienare possit? Qvod affirmat *Curtius Junior consil. 132.* n. 4. Ego tamen interesse puto, An pactum tale sit legis commissoriæ, qvod hic minimè locum habebit, an verò sit de vendendo, ut ex eo, ratione interesse satisfieri possit, & tunc venditio locum habebit, ut tamen debitor residuum exigere possit. Qui debitor ab interesse liberabitur, si denuò data distrahendi potestate, se in pecunia numerata satisfacere non posse rescripsit.

XXIX. Affinia Cambio varia contractuum sunt genera, puta Emptionem, locationem, mutuum, innominatum contractum, do ut des, vel facio ut des; potissimum verò Recambium, quando scil. creditor, facultate à debitore datâ, in casum non factæ solutionis, ab alio accipit, eumq; ad eundem debitorem remittit, cum quo debitore, ob alibi petitam pecuniam, & inde exsolutum interesse Recambiatum dicitur. Pro quo illustrando, hunc Casum apponere lubet: Ego sum creditor tui in centum Imperiales ex causâ Cambii, cum facultate, ut te non solvente possim eandem summam accipere ad Cambium & Recambium, eamve trahere in tec-

C

ipsum

ipsum, donec mihi satis factum sit; Et qvia tu non solvis,
ego eandem accipio summam Cambio, à Titio, literasq;
facio Cambii, quibus mando tibi, ut eam summam
solvas ipsi Titio; Tu verò, qvia non solvis, literæ Cambii
redeunt cum protestatione, qvas ut solvam, accipio
Cambio eandem summam, unâ cum interesse Cambii,
& similiter tibi, ut solvas, scribo, ac qvoniam non solvis,
literæq; cum protestatione redeunt, ego contraho
novum debitum Cambii, ut solvam præcedens, & sic
deinceps: Hæc dicuntur Recambia, qvia in eis lucrum
seu interesse Cambii, semper convertitur in capitale, au-
gendo creditum contra eundem debitorem *Scatt. de*
commerc. & Camb. §. 1. quest. 5. n. 38. & seqq. de quo Re-
cambio vid. prolixè differentem *Rapbaelem de Turri di-*
3. per tot.

XXX. Contraria Cambii sunt illa, qvæ & aliis Con-
ventionibus obstant, ut (1.) Dolus, qvi si contractui causam
dederit, Contractus est ipso jure nullus *l. eleganter ff. de*
dolo. l. 1. §. ult. ff. depos. In pretii circumventione, an bene-
ficio *l. 2. C. de rescindend. vendit.* læsus uti possit, non ab-
surdè inquiritur? Qvod affirmatur, si cum primis enor-
mis sit læsio ultrà dimidium *Scatt. de Commerc. & Camb.*
§. 1. quest. 7. part. 2. ampliar. 10. n. 3. & in tract. de Judic.
causar. lib. 1. c. 50. n. 10. Ulbi etiam docet, qvod deceptus
seu læsus agendo ad rescissionem debeat alternativum
concipere libellum, petendo scil. rescissionem contra-
ctus, vel id qvod deest ad lædentis electionem. (2.) Me-
tus, qvi scil. cadit in constantem Virum, qvem judex
arbitrabitur, & coactio, qvæ consensui planè obstat
tot. tit. ff. & Cod. quod metus causa & propterea à nullo
privato, aliquis licetè cogi potest ad celebrandum Cam-
bia; sed an à Principe seu Magistratu supremo? Vide-
tur



tur qvod sic, qvia coacta voluntas etiam est voluntas.
si mulier 21. §. si metu 5. ff. de eo quod metus causa; Veriore tamen esse negativam sententiam, hisce probari potest rationibus: qvia tam jure Cæsareo *l. nemo exter us 9. c. de jure. Et cœticol. quam Pontificio C. 2. juncclâ gloss. X. de jure jur.* regulariter ad contrahendum nemo potest cogi, qvod omnino etiam in Cambio nostro obtinet; nisi creditores Cambiorum contra justitiam agant, qvando ingentem summam alicujus monetæ, ex alienis pecuniis in loco publico sibi comparant, ut non solum illis distrahendis, opulentius lucrum sibi creent, sed ut adstringant debitores, & opus habentes, in dicto loco, dictâ monetâ gravioribus & durioribus conditionibus, eam sibi comparare, & ab iis consequevi, qvandoqvidem debitores tenentur in Termino præfixo omnibus creditoribus satisfacere; Vel si non nulli ex prædictis, qui sibi ejusmodi certum genus monetæ paraverunt, præterea qvoq; invicem convenient, ne distrahantur, vel aliter Cambia contrahantur, nisi tali vel tali pretio, pro tali ac tali loco. Hic namq; mos, qvoniam vergit in perniciem privatorum, omnino potest Magistratus prædictos etiam invitatos, ad dictas conspirationes disolvendas, cogere, ut Cambia justis pretiis & conditionibus, fide bonâ, & more mercatorum usitato, celebrent *argum.*
l. annonam 6. ff. de extraord. Crimin. Imò dicuntur tali casu monopolium committere *l. un. C. de Monopol.* qvod tanquam contra publicam utilitatem justitiamq; merito damnatur *Carpz. lib. . resp. 42. n. 1. (3) Error,* non tamen omnis; Error enim generaliter in causâ contractum minimè vitiat *Donec. lib. 4 cap. 15. lit. A* *Et ibi Hilig.* Et stipulatio sine causâ ipso jure valet *l. 2 ff. de dolii except.* Ut ita non liceat impugnare contractum, ex de-

fectu consensus sed erit succurrendum aliis juris reme-
diis vel actione in factum, vel demum condictione se-
cundum factorum contingentiam. Error Nominis iti-
dem non vitiat contractum, *i. si in nomine 22. ff. de U.O.*
modò de corpore & re ipsa constet. Si verò Error con-
sistat circa substantiam ipsam, rei in Cambium deductæ,
tunc excludendo consensum, vitiat Cambium.

XXXI. An autem exceptio non numerata pecu-
9 niæ in Cambio locum habeat, ferram trahunt DD? Ne-
gantibus ad stipulor, non tam quod hæc Exceptio sit de
apicibus juris quod absurdum; quam quod Mercato-
rum maximè interficit, pecuniam habere in promptu;
nec mercimonia impedienda his aliisq; effugiis. *Carp.*
d. lib. 2. resp. 92. per tot. Hinc nec excursionis vel ordinis
beneficium Camporibus competere argum. *Novell. 41&*
cap. ult. § final. communiter probant. *Berlich. parte 2dæ*
Conclus. 24. n. 45. & seqq. ibiq; ab eo allegati, qui u-
nanimiter hoc Excusionis beneficium inter Mercato-
res locum non habere, affirmant.

Sed hæc sufficient in perplexâ & spinosâ
Cambiorum materiâ, precario quasi ex obscu-
ris DD. traditionibus transsumpsisse & anno-
tasse: Dabit ætas aliquando maturior meliora,
si DEUS illam; Cui sit Laus, honor, &
Gloria interminis, seculorum
Terminis.

F I N I S.

Ad

*Ad Eximum & Eruditissimum
Dn. RESPONDENTEM, Confalimum
ac Contubernalem futim exo-
ptatissimum.*

NArrant armigeri Jovis ministri
Pullos alitis æmulari ab annis
Primis usq; parentium volatus,
Et vires tenties periclitari:
Sic Tu non sine laude qvæ facultas
Sit cognoscere virium tuarum
Conaris, per amande amice *FLESCHI*,
Et vestigia trita *Patris* olim
Gnavo qvæ pede sunt legis colendi,
Nostro tempore Stolpa quem vetusta
Summis laudibus evehit sub axem.
Disceptandam etenim tibi molesto
Sumis materiam labore plenam,
CambI discutienda nempè jura
Multis nubibus implicata jura,
De queis nil meminere, qvæ sacratus
Quondam in corpore jura corpulento
Suos scribere jussit Imperator.
Nec est postea idoneus repertus
Qui jura enucleaslet ista CâmbI,
Quamvis Ingeniis sit expeditis

Ætas nostra referta copiosis.
Mercatoria scilicet taberna
Vendicat jura tota sibi Cambi.
Atq; in hac variatur usus ejus.
Hinc scientia recta Cambiorum
Meo judicio est petenda doctis,
His ex urbibus, indies frequentat
Quas mutatio mercium, velut sunt:
Hamburgum celebrisq; opumq; dives,
Quam præterfluit Albisunda, densis
Multam fluctibus exspuens arenam:
Norinbergæ opulenta, *Lipsiensis*
Urbs tectis decoratior superbis,
Ut & Vindelicis potens in arvis
Clara *Augusta*, potentiorque cunctis
Fermè quas videt Hesperus *Gedanum*:
Et plures aliæ fatisq; notæ:
Quas si per numerare jam liberet,
Non hic sufficeret dies loquela.
Hæ FLESCHI, genuere Cambii jus,
Atq; hoc tempore nutriunt foventq;
Permulis variationibusq;
Distant, vix hominis sagacioris
Ut comprehendere posfit vix ullius mens.
Tu, FLESCHI, tamen nihil hæc moraris,

Nec

Nec ullâ gravitate perpavescis,
 Hanc dum materiam cupis polire,
 Et mentis dare signa doctioris
 Orbi sedulus erudito anhelas.

Et hæcluce qvidem GREGORIANA

*Qua Magni celebratur heus! Parentis
 Nomen, quod reddit rotæ rotatus
 Phœbeæ, facientis Orbis annos.*

Heu! qvæ gaudia concitabis ipsi,
 Claram qvi vicibus tribus Cathedram
 Aggressus, vice jam perinde quartâ
 Audes scandere laude cum perenni,
 Et Patri ac Patriæ parare honorem.

Nam noctesq; diesq; per labores
 Huc sudoriferos, Amice, tendis.


*Qui non gratuler ergò ego Parenti
 De Tanto Genito Patrem æmulante
 Et summis studiis eum colente?*

Maëste! sic Juvenis patent honorum
 Accesus Tibi! sic ad astra Cœli
 Nomen evolitat loqvace famâ
 Tuum, ignobile despicitq; vulgus!
 Sic Jovæ, Patriæ, Patriq; charo
 Gratus non modo eris, sed ipse vestrum
 Extendes genus ad viam Bootæ,

Atq;

Atq; eris Generis columnna Vestri,
Longe firmior Herculis Columnis!
Tu perge, Ingenium tuum virescet
Sero tempore, proferetq; fructus,
Quos non Tempus edax queat vorare,
Sed qvos Terminus ipse spectet Orbis!
Faxit Sancta Trias, potens Creator,
Ratum sit maneatq; quod voremus!

JOHANNES LAURENTII V. S.
Jurium Studiosus.



00 A 6343



Y. Rubra VD 17

Farbkarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



JESU NOSTRO!
ATIO JURIDICA
De
MBIIS

vulgò
d Wechselbriefen/
Qvam
nter Divinâ Clementiâ,
onsentiente,

*Iectorum Ordine in
ri Viadrinâ,
ræsidente*

Consultissimo, Excellentissimo

ACOBO WOLFFIO

tore atq; Evergetâ suo religioso
tu perpetim devenerando.

*Eruditorum Examini ven-
dam proponit*

SCHIUS Stolpa-Pomer.

& R.

*tti, horis hocoq; consuetis,
alutis recuperata*

6 5 2.

NICOLAUS KOCH,
cad. Typogr.

spant/Oder

34.

674.